uerum dicens uobis? Emulantur uos non bene: sed exclu-
dere uos uolunt ut illos emulemini. Bonum autem
emulamini in bono semper et non tantum cum presens sum
apud uos. Filioli mei quos iterum parturio donec for-
metur xpistus in uobis. Vellem autem esse apud uos modo et mutare
uocem meam: quoniam confundor in uobis. Dicite michi qui sub
lege uultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim quoniam
abraham duos filios habuit: unum de ancilla et unum
de libera. Sed qui de ancilla secundum carnem natus est. qui
autem de libera per repromissionem. que sunt per allegoriam
dicta. Hec enim sunt duo testamenta. Vnum quidem in
monte syna in seruitutem generans: que est agar. Sy-
na enim mons est in arabia qui coniunctus est ei que nunc
est ierusalem: et seruit cum filiis suis. Illa autem que sur-
sum est ierusalem libera est que est mater nostra. Scriptum est
enim. Letare sterilis que non paris: erumpe et clama que
non parturis. quia multi filii deserte. magis quam eius
que habet uirum. Nos autem fratres secundum ysaac promissionis
filii sumus. Sed quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat
persequebatur eum qui secundum spiritum ita et nunc. Sed quid dicit
scriptura? Eice ancillam et filium eius. Non enim heres erit
filius ancille cum filio libere. Qua libertate xpistus nos
liberauit.

V Statet et nolite iterum iugo seruitutis contineri.
Ecce ego paulus dico uobis quoniam si circumcidami-
ni: xpistus uobis nichil proderit. Testificor autem rursum
omni homini circumcidenti se. quoniam debitor est uniuerse
legis faciende. Euacuati estis a xpisto. qui in lege
iustificamini a gratia excidistis. Nos autem spiritu ex fi-
de spem iustitie expectamus. Nam in xpisto ihesu neque
circumcisio aliquid ualet: neque preputium: sed fides que
per caritatem operatur. Currebatis bene. Quis uos impedi-
uit ueritati non obedire? Persuasio hec non est ex eo qui
uocat uos. Modicum fermentum totam massam corrumpit.
Ego autem confido de uobis in domino quod nichil aliud sapietis.
Qui autem conturbat uos: portabit iudicium quicumque
est ille. Ego autem fratres si circumcisionem adhuc predico
quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est
scandalum crucis. Vtinam et abscidantur qui uos contur-
bant. Vos enim in libertatem uocati estis fratres: tantum ne
libertatem in occasionem detis carnis. sed per carita-
tem seruite inuicem. Omnis enim lex in uno sermone
impletur: diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quod si
inuicem mordetis et comeditis: uidete ne ab in-
uicem consumamini. Dico autem. Spiritu ambulate: et
desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit
aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hec enim sibi
inuicem aduersantur. ut non quecumque uultis illa
faciatis. Quod si spiritu ducimini: non estis sub le-
ge. Manifesta autem sunt opera carnis. Que sunt:
fornicatio. inmunditia. inpudicitia. luxuria.
ydolorum seruitus. ueneficia. inimicitie. contentiones.
emulationes. ire. rixe. dissentiones. secte. in-
uidie. homicidia. ebrietates. comessationes.
et his similia. que predico uobis sicut predixi: quoniam qui talia agunt
regnum dei non consequentur. Fructus enim spiritus est caritas.
gaudium. pax. patientia. longanimitas. bonitas. be-
nignitas. mansuetudo. fides. modestia. continentia
castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt
xpisti. carnem suam crucifixerunt. cum uiciis et concupis-
centiis. Si uiuimus spiritu: spiritu et ambulemus. Non effici-
amur inanis glorie cupidi inuicem prouocantes inuicem
inuidentes.

VI Fratres. et si preoccupatus fuerit homo in aliquo delic-
to: uos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenita-
tis. Considerans te ipsum ne et tu tempteris. Alter alterius
honera portate et sic adimplebitis legem xpisti. Nam si quis
existimat se aliquid esse cum nichil sit: ipse se seducit.
Opus autem suum probet unusquisque: et sic in semet ipso tantum
gloriam habebit et non in altero. Vnusquisque enim honus suum
portabit. Communicet autem his qui catechizatur uerbo
ei qui se catechizat in omnibus bonis. Nolite errare deus
non irridetur. Que enim seminauerit homo hec et metet.
Quoniam qui seminat in carne sua: de carne et metet cor-
ruptionem. Qui autem seminat in spiritu: de spiritu metet
uitam eternam. Bonum autem facientes non deficiamus. tempore enim
suo metemus: non deficientes. Ergo dum tempus habemus: opere-
mur bonum ad omnes. maxime autem ad domesticos fidei.
Videte qualibus litteris scripsi uobis mea manu. Quicumque
uolunt placere in carne: hii cogunt uos circumcidi tan-
tum ut crucis xpisti persecutionem non patiantur. Neque enim qui
circumciduntur legem custodiunt. sed uolunt uos circumcide-
re ut in carne uestra glorientur. Michi autem absit gloriari:
nisi in cruce domini nostri ihesu xpisti. Per quem michi mundus cruci-
fixus est: et ego mundo. In xpisto enim ihesu neque circumcisio
aliquid ualet: neque preputium sed noua creatura. Et quicumque
hanc regulam secuti fuerint: pax super illos et misericordia.
et super israel dei. De cetero nemo michi molestus sit. Ego enim
stigmata ihesu in corpore meo porto. Gratia domini nostri ihesu
xpisti cum spiritu uestro fratres amen. Explicit epistola ad galathas.

Ephesii sunt asiani. Hi accepto uerbo ueritatis
perstiterunt in fide. Hos collaudat apostolus scribens
eis a roma de carcere per tychicum diaconum. Explicit.

Paulus apostolus ihesu xpisti per uoluntatem
dei. sanctis omnibus qui sunt ephesi. et fidelibus
in xpisto ihesu. Gratia uobis et pax a deo
patre nostro et domino ihesu xpisto. Bene-
dictus deus et pater domini nostri ihesu xpisti.

360

f–

STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ http://digital.slub-dresden.de/ppn341421227/721